

Berchtold Haller¹⁾ an Vadian.

Bern. 1536. Januar 28.

Dank für die neubestätigte Zuneigung Vadians gegen den Briefschreiber. Schilderung seiner stets wachsenden Krankheit trotz der eifrigen Fürsorge des Valerius Anshelm. Bitte um den ärztlichen Rat Vadians. Bedauern, dass Vadian wegen geschwächter Gesundheit den bevorstehenden Tag der evangelischen Städte in Basel (4. Februar) nicht besuchen könne, da doch die Anwesenheit gelehrter und massvoll denkender Männer dringend notwendig sein werde.

S. Facis tu quidem, observandissime Vadiane, amice et pie, qui propensum tuum erga Berchtoldum studium, iam antea cognitissimum, nova subinde testificatione declaras; qua, etsi opus nihil habeam, iam ante de voluntate in me tua certissimus, nec respondere suavitati ingenii tui queam, iucundissimum tamen est mihi, crebro amantissimis tuis literis refici ac pectus aperiri tuum, quod charitatis plenissimum erga me gerere iamdudum te deprehendo. Nec est, quare^{a)} ullam tuam in medico consilio moram impatientius^{b)} feram, qui tuas occupationes ex meis reputo, sepe parum officiosum me esse etiam erga coniunctissimos cogentibus. Sed enim ut denuo de eadem re te interpellem consiliumque tuum et auxilium maturari a te petam, cogit me summa necessitas, in quam morbi accrescentis violentia me tempore brevi coniecit. Nam quo in statu res meae sint, vel amanuensis declarat, cuius opera uti habeo necessum, quando ob rupturæ et corporis molem nec lectioni nec scriptioni assidere amplius queam, licet corde capiteque nihildum magnopere debilitatus, nisi quantum ex fatigatione huius perpetui oneris ad illa quoque imbecillitatis redit. Ab autumno proximo subque immensum illud frigus magis magisque prorumpere ruptura cœpit^{c)} ad ingentem magnitudinem, quæ mox resoluta rursus aere paulatim induruit, gestionis tarditatem difficultatemque ex intestinorum nimirum dislocatione secum trahens. Unde adglomeratis sordibus intumuit venter ac pedes, flatibus omnes, quæ sub pectore sunt, corporis partes occupantibus. Quos quum Valerius²⁾, qui ad summam sedulitatem nihil reliqui sibi facit, propellere clysteriis conatus sit, secundo iam aggressus nihil profecit, non manentibus intrinsecus neque satis penetrantibus clysteriis ob nimiam constipationem. Atque hoc idem tamen sæpius^{d)} tentare, vix tutum satis videtur, ne eiusmodi liquoribus emollita intestina magis deinceps proripiant se propter lubricitatem. Pillulis quidem alvum laxamus hactenus, quæ et nunquam citra operationem

cassæ sunt; sed mox cessans eidem difficultati involvor. Itaque cum universi morbi statum in eo verti intelligas, ut obstructio intestinorum tollatur educanturque flatus, id qua ratione potissimum fieri censeas, obsecro, quamprimum significes. Manu namque domini correptus, undique, a te vero potissimum, consilia advocare necessum habeo, qui, cum otiosum^{e)} spiritum nullum ducere consueverim hactenus, quantum nunc domi detentus citra publicum usum adfigar, ipse facile æstimas. Quare amicorum consiliis precibusque ad dominum totum me consecro eiusque benignam voluntatem ad quemcunque eventum exspecto^{f)}. Quod ad synodum per corporis infirmitatem venire nequiveris, vehementer doleo, quippe qui videam, si uspiam alias, certe ibi eruditorum moderatorumque ingeniorum præsentiam necessariam fore, si quid confici frugiferum ad veram solidamque concordiam debeat. Sed quid facias, ubi promptitudinem animi destituit corpus? Sed iam molestus esse desino tibi. Quæ in bello gerantur, ex tabellario abunde disces, quare de his scribere supersedeo inpræsentiarum. Bene vale, ornatissime vir. Bernæ, 28. Ianuarii, anno 1536.

Berchtoldus Haller tuus.

Viro ornatissimo doctissimoque D. Ioachimo Vadiano, urbis Sangalli præsuli illustrissimo, amico primario suo.

a) „quadr.“, ein unvollständig corrigiertes „quod“? — b) „impac.“. — c) „çep.“. — d) „e“ für „æ“. — e) „c“ für „t“. — f) „exp.“.

1) Vgl. III, Brief 434. — Vorstehender Brief ist bis an die Unterschrift von anderer Hand geschrieben. Haller starb wenige Wochen nach Absendung dieses Schreibens, am 25. Februar 1536. — 2) Anshelm, vgl. III, Brief 342.

Johannes Comander¹⁾ an Vadian.

Cur. 1536. Januar 31.

Die Basler Conferenz. Einzug des Kaisers in Rom. Die Bündner rüsten den Bernern 900 Mann zu Hilfe.

Gratiam^{a)} et pacem a deo patre per dominum nostrum Iesum Christum. Literas Reverentiæ tuæ accepi, charissime vir, quæ, uti mihi semper sunt gratissimæ, ita et nunc me plurimum consolatæ sunt ac omnino refecerunt. Scribis ad me multa tum pia, tum iucunda, quæ omnia sane intellexi, quamvis ad singula respondere non sum idoneus nec opus est. De conventu illo in Basileam iam pridem scripserat ad me vir pius ac doctus M. Iacobus Bedrotus ex Argentorato; sed diem statutam